

NICOLAUS CISNERUS  
(1529-1583)

IDYLLE (303 vers)

IDYLLION DE MAII ET VERIS LAUDIBUS. BASSARUS, CORYDON, DAMAETAS.

BASSARUS

v.1 Quid facimus ? Cur non calamos inflare sonoros  
2 incipimus, pecorumque alternis versibus aures  
3 mulcere, et nostro depellere pectore curas  
4 hic ubi conspicuo vallis laetissima rivo  
5 cernitur, et viridi florescit gramine ripa,  
6 et nova diffundunt frondosae bracchia fagi.

CORYDON

7 Si quid habes, referas, in me mora non erit ulla  
8 experiar, quid ego possim praestare vicissim

BASSARUS

9 Vis igitur narrem dulces tibi Chloridos ignes  
10 inclita vel magni decantem Daphnidis acta.  
11 Aut aliud tenui quiddam modulemur avena.

CORYDON

12 Hic neque formosam locus est extollere nympham,  
13 nec licet agresti depingere Daphnida musa  
14 Daphnida, perpetuo laudari carmine dignum  
15 quin potius molli quoniam consedimus herba  
16 et nunc silva comis, nunc splendent floribus horti  
17 nostra canet Maii laudes fructusque Camena  
18 verque novum cunctis praeponet partibus anni.  
19 Laudat et hoc Daphnis, clarus quoque laudat Iolas  
20 tu quoque quid tribuas illi, da Bassare nobis.

BASSARUS

21 Et me purpurei delectant commoda Veris :  
22 sed tamen ante decus blandi vindemia Maii

23 nobilis, et majora mihi dare dona videtur.  
 24 Si libet ergo tibi tempus componere utrumque  
 25 tu referas nobis, quae profert, commoda Maius.  
 26 Autumni sed ego celebrabo carmine dotes,  
 27 temporis, ut videas, cujus praestantia vincat.  
 28 Concedes certe, quae te concedere fas est.

CORYDON

29 Non certe, non per Tegeaei numina Panos  
 30 gratius est quicquam, quam sic contendere tecum  
 31 autumnoque mei dotes proponere Maii.

BASSARUS

32 Sed quis erit, sub quo victoria iudice constet  
 33 quid si vicinae recubans sub tegmine quercus  
 34 cujus dumosa pendent de rupe capellae  
 35 Damaetas hujus certaminis arbiter esset ?

CORYDON

36 Ergo age, quando tuae sedet haec sententia menti  
 37 quaeremus, velit an iudex certaminis esse.

BASSARUS

38 Huc ades, et causas nostri certaminis audi.  
 39 Damaeta sit utrum Maio vindemia major  
 40 vincat an Autumnum praestantis gloria veris  
 41 tu quid quisque refert, fac ima mente reponas.

DAMAETAS

42 Hic ego cur caris non gratificarer amicis ?  
 43 Incipias Corydon primum : post Bassare dicas.

CORYDON

44 Aspice ut insignis teneat jam cuncta voluptas,  
 45 sunt alacres silvae, campi, pecudesque, hominesque  
 46 Maenalidae, Fauni, Satyri, Dryadesque puellae.  
 47 Nunc placidi Zephyri spirant, auraeque tepentes  
 48 omnia vivificant, Boreae quae frigore saevi  
 49 aeris et vitio duri confecta fuere.  
 50 Vere sinum molli turgentem germine pandit  
 51 alma parens rerum concepto prodiga fetu  
 52 grataque fert vario nobis munuscula cultu.  
 53 Omnibus effundunt nunc omnes omnia terrae.  
 54 Pascua jam pecori passim vernantia surgunt,  
 55 prata virent herbis vario vestita colore,  
 56 laetaque odoratis decorantur floribus arva  
 57 atque novo splendent fragrantia lilia luxu  
 58 et rosa purpurei capitis diducit honorem  
 59 totaque fulgenti rutilat splendore comarum  
 60 ac bene fragrantem late diffundit odorem.

61 Jam viridi in prato Galatea, et Chloris et Aegle  
 62 ipsa inquam Galatea tuos quae conficit artus,  
 63 et multum dilecta mihi pulcherrima Chloris  
 64 aspectu recreant languentia pectora dulci :  
 65 dum teneris prati digitis populantur honorem  
 66 pallentes violas, foliisque haec lilia pulchris  
 67 decerpit, nitido spoliatque rosaria amictu  
 68 illa comas, Narcisse, tuas, mollesque Hyacinthos  
 69 subsecat ungue, tuumque decus dulcissime Adonis  
 70 adjungit reliquis, florem et bene olentis anethi.  
 71 Pars quoque jam mixtos plures redolentibus herbis  
 72 imponunt calathis flores, et tempora circum  
 73 gestant pars vario florentiaserta decore,  
 74 concentusque movent concinna voce sonoros.  
 75 Vere novo abjectos Autumni tempore crines  
 76 jam renovant silvae, nunc omnis frondibus arbor  
 77 luxuriat fecunda novis, ornata comisque  
 78 inducit gelidis obscuram fontibus umbram.  
 79 Ipse vides tiliis, fagos et robora quercus  
 80 hos montes summo late quam vertice opacent.  
 81 Omnia nunc resonant avium virgulta susurro,  
 82 nunc sibilans blandis attemperat organa cannis  
 83 et solitas repetit cantu Philomela querelas.  
 84 Nunc maculosa sonat carmen turdela canorum  
 85 jamque parat silvis graciles suspendere nidos.  
 86 Nunc etiam nitidi vicino in flumine pisces  
 87 colludunt, et aquae suprema in parte morantur.  
 88 Nunc veneris flammis animantia cuncta sequuntur.  
 89 Aspice ut ex pastis rorantia gramina vaccis  
 90 pars procumbat humo, dulces et ruminet herbas :  
 91 pars nemoris densi jucundis erret in umbris  
 92 mugitu complens lucos, silvasque sonantes :  
 93 aspice ut adversis luctentur cornibus haedi.  
 94 Acriaque ut fortes accendant bella juveni.  
 95 Aspice oves plano salient ut tramite pingues  
 96 et teneri exsultent agni matresque sequantur.  
 97 Ipsi etiam laetas tollunt ad sidera voces  
 98 excelsi montes, ipsae jam jubila valles  
 99 emittunt, ipsique sonant jam carmina campi.  
 100 Nos quoque sentimus genialis commoda veris  
 101 pastores ovium, reliqui pecorisque magistri,  
 102 frigora quod placido mulcentur saeva calore  
 103 tardius atque cadant altis de montibus umbrae.  
 104 Jam vero an poterit quicquam jucundius esse :  
 105 quam gelidos inter rauco cum murmure fontes,  
 106 atque inter vario labentia flumina flexu  
 107 fronde sub umbrosa jucundum carpere frigus.  
 108 Mollis ubi silvae foliis trepidantibus aura,  
 109 atque ales lepido cantu, blandoque susurro  
 110 taurigenae volucres suadent captare soporem,  
 111 aut rude silvestri modulari carmen avena.  
 112 Omnia quid referam, non tot se milia condunt  
 113 in silvis avium, nec habet tot messis aristas :  
 114 deliciis vitae nostrae quot Maius abundat.  
 115 Omnia nunc rident, nunc formosissimus annus,  
 116 denique non alios nascentis origine mundi

117 illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem  
 118 crediderim, ver illud erat, ver magnus agebat  
 119 orbis, et hibernis parcebant flatibus Euri.

## BASSARUS

120 Plurima sed nobis Autumnus commoda praestat.  
 121 Utilior toto non est pars altera in anno.  
 122 Tum tibi summa, pater Bacche, est concessa potestas  
 123 laetitiae dator, et dulcis largitor amoris.  
 124 Te sine friget amor, nec te sine Cypria laeta est.  
 125 Vineae tum turget tumidis onerata racemis  
 126 et gravidae plenae pendent de vitibus uvae  
 127 quae pascunt oculos, ventrique alimenta ministrant.  
 128 Harum aliae surgunt ad aprici lumina solis  
 129 supremaque toros diffundunt fronde comantes :  
 130 ast aliae nimio depressae pondere terras  
 131 contingunt, ima fundentes stirpe racemos.  
 132 Tunc etiam dulces tenero de palmitibus fructus  
 133 lascivae resecant curvata falce puellae,  
 134 et liquidas vario cantu modulantur ad auras.  
 135 Turgentes alii magno sub pondere botros  
 136 tundunt, atque novo condensant dolia succo,  
 137 labraque tortivo fervent spumantia musto,  
 138 suavia quod fessis praebet solacia membris,  
 139 et gravibus solvit circumdata pectora curis.  
 140 Roscida tum vario turgent pomaria fructu.  
 141 Dulcia quid ramo pendentia poma feraci  
 142 quidve nubes referam quid castaneas hirsutas,  
 143 mespila quid, gravidas fetu ficusque piroscum,  
 144 Autumnus pleno cornu quae Pomifer edit ?  
 145 Hoc sitis, atque fames fructu depellitur, hisque  
 146 divitiis poteris tranquillam ducere vitam.  
 147 Ante colent ergo torrentia flumina turdi :  
 148 et vitrei sicco pascentur in aere pisces :  
 149 deliciis Maii tribuat quam laetus honorem  
 150 Autumnus variis penum qui fructibus implet.

## CORYDON

151 Ergone deliciis tantum est accommoda blandis  
 152 temperies Maii, nullos et servit ad usus ?  
 153 Verum age, ne Maius merito spolietur honore  
 154 illius ipse tibi referam bona Bassare paucis.  
 155 Ver tantum nemori est, et apricis utile pratis  
 156 utile ver fetu pecori, pecorisque magistris ;  
 157 lenta salix ovibus quantum, caprisque cyperus  
 158 atque satis humor, surgentia gramina vaccis ;  
 159 vere novus succus crescentibus inditur herbis ;  
 160 mollia nec canis concrescunt prata pruinis,  
 161 sed pecori in tenera ros est gratissimus herba ;  
 162 hinc distenta domum sua gestant ubera vaccae,  
 163 omnia candenti complent mulctralia lacte.  
 164 Plurimus est hujus teneris infantibus usus,  
 165 ac ope solius generosi lactis aluntur.  
 166 Hinc etiam mixtis pressos redolentibus herbis

167 caseolos, digitis format Galatea tenellis  
168 qui salis, et florum referunt cum lacte saporem.  
169 Hinc quoque butyrum decocta lactis ab igne  
170 massa conficiunt, tenui cedente liquore ;  
171 aut sale contingunt, hiemi quod deinde reponunt  
172 nec tam prata juvat riguus nec semina succus  
173 nec nemus umbrosum volucres, nec flumina pisces  
174 butyrum ut decorat mensas, nostrasque culinas.  
175 Adde favos liquidi caelestia munera, mellis  
176 atque apium dulci distentas nectare cellas  
177 vere quod ex cytiso sugunt et flore salicti  
178 frigore dum pulso saltus, silvasque peragrant  
179 purpureosque petunt hortos, placidoque susurro  
180 in densis nemorum resonant examina lucis.  
181 Jam quando niveae praestantia vellera lanæ  
182 ipse gregi primum soleas auferre bidentum,  
183 ut gravis aere manus tumeat, tu, Bassare, nosti  
184 utitur hac gestatque simul cum divite pauper.  
185 Frigus enim pulsat, corpusque tuetur ab aestu.  
186 Denique quis posset parvos sua pignora natos,  
187 Bassare, sustentare cibus, et pellere frigus  
188 nostra quod in saeva constringit tempora bruma,  
189 si tibi non Maii tempus sua dona ministret ?  
190 Cetera ne referam, fundit quae commoda Phoebus  
191 cum medium Maio caeli procedit ad axem.  
192 Non mihi butyro, lacti, lanæve bidentum  
193 arborei fetus conferri posse videntur.  
194 Quin etiam quoscumque parit Vindemia fructus  
195 proventuque onerat cellas quocumque bonorum.  
196 Praesidii vernantis in his est indiga Maii.  
197 Tum terrae in gremium fecundis imbribus aether  
198 descendit, profertque suo Sol cuncta calore,  
199 hinc tenero lacrimas fundit de palmite vitis  
200 et virides laeto turgent in palmite gemmae ;  
201 pampinus et denso vites obvelat amictu,  
202 ne calor exiguas comburat fervidus uvas.  
203 Aut saevi noceant magnis Aquilonibus imbres.  
204 Tunc revirens teneris adolescit frondibus arbor  
205 vitalesque capit succos, et germina fundit.  
206 Non minus ergo sibi tua Maius dona Lyæe  
207 poma nucesque, quibus felix exuberat annus  
208 vendicat, Autumnus quamvis haec jactitet usque.  
209 Ut majora vides, succis et pluribus aucta  
210 sponte sua foetu mittit quae divite tellus ;  
211 cum sol crescentes decedens duplicat umbras  
212 quam cum prima novo collustrat lumine terras  
213 dispulsisque nitet surgens Aurora tenebris ;  
214 quae tunc haud illo creverunt vespere solum  
215 sed praecedentis prius ipsis tempora lucis  
216 crescendi vires, atque incrementa dederunt.  
217 Utque levi crates quas nunc de vimine texis  
218 non qua finieras, fecisti temporis hora.  
219 Sed labor hic septem Soles pluresve requirit :  
220 sic neque prima tibi, quos profert, causa ciborum  
221 Autumnus fuerit, sed summa potentia Maii.  
222 Nam si non Maii exciperet clementia terras

223 et dulcem succum teneris infunderet herbis  
 224 cunctaque vivifico paritura calore foveret  
 225 nulla tibi spectanda foret vindemia vini.  
 226 Usque adeo praestare nihil Maio sine posset.  
 227 Aere quin potius vario subitoque noceret.  
 228 Et magis illius nobis mutatio obsesset,  
 229 inconstans, varia vitiosi sideris aura.  
 230 Nam quaecumque prius crescentia laeta fuerunt  
 231 viribus exhaustis graviter tunc omnia maerent  
 232 arescunt vitio morientes aeris herbae,  
 233 et sitiunt agri, frondes silvaeque comantes  
 234 deponunt, tristis praebentes signa ruinae.  
 235 Quam varia, ah, premitur pastor tum mole laborum.  
 236 Quidquid agas, vis te violenti frigoris urit  
 237 horrida et hirsutis dependet stiria barbīs.  
 238 Tristius haud toto quidquam est pastoribus anno  
 239 quam gravis Autumno varia inconstantia caeli  
 240 nec pecudes viridi tum sustentantur in herba  
 241 arida sed rigidi consumunt pabula feni.  
 242 Sordibus haec maculata replent fenilia foedis.  
 243 Saepius hinc atro dilapsa cadavera tabo  
 244 in stabulis cernis, fluidi et contagia morbi,  
 245 spemque gregemque simul noctem vitiare per unam.  
 246 Tum mordax Boreae frigus, ventique maligni,  
 247 heu, pecus omne gravi quam tentant undique morte.  
 248 Foetida oves scabies vexat, turpisque podagra  
 249 nec licet has fluvio tum submersare salubri  
 250 immundus teneris sudor sed semper adhaeret  
 251 faucibus, et porcos tussis quatit aspera obesos  
 252 et vituli tristes sanie infuscantur acerba.  
 253 Et reddunt animas atro cum sanguine tauri.  
 254 Nostra etiam varii tum tentant corpora morbi,  
 255 et mala corripunt saevae contagia pestis,  
 256 nonne meus pater, ah, Autumni incanduit aestu.  
 257 Et dulces animas nuper cum matre reliquit ?  
 258 Aere corrupto pestis cum lapsa trahebat  
 259 ossa minutatim, fluido damnosa veneno.  
 260 Plura quid ? Autumni quae sint incommoda foedi  
 261 et pecudes, montesque feri, silvaeque loquuntur.  
 v.262 Non etenim recreat nostras tum lumine terras  
 v.263 nec cum vectus equis Titan petit aethera, nectum  
 v.264 praecipitem Oceani rubro lavit aequore currum  
 v.265 at grata est zephyris spirantibus omnibus aura,  
 v.266 et capiunt vitae vegetas animantia vires  
 v.267 hinc tibi fronde nemus, variis hinc floribus horti,  
 v.268 hinc plaudet palmes gemmis, hinc campus aristis.  
 v.269 Hinc magis in pratis pecudes saturantur opacis.  
 v.270 Pluribus hinc nostras ditescunt fetibus aedes.  
 v.271 Omnia et haec propria praestat virtute, nec ullum  
 v.272 subsidium Autumni, Maii vis magna requirit.  
 v.273 Aspera quantum igitur cedunt dumeta rosetis  
 v.274 et violae spinis quantum paliurus acutis :  
 v.275 tantum, care, tuus largitur, Bassare, Maio  
 v.276 viribus ab illo sumptis Autumnus amoeno.

v.277 Vere licet primo surgant in palmite gemmae  
v.278 et foliis arbor, pubescat vinea botris.  
v.279 Attamen Autumno molescunt vitibus uvae  
v.280 et fructus arbor maturis fetibus edit.  
v.281 Ergo vides etiam Autumno superesse vigorem  
v.282 omnia quo ad certam veniunt nascentia metam.  
v.283 Juppiter has leges, aeternaque foedera cunctis  
v.284 imposuit rebus cuique ut sua numina inessent.

## CORYDON

v.285 Non minus interea vires aliunde receptas  
v.286 majores reputes, quam quas tibi tempora praestant  
v.287 Autumni semper rapidis horrentia ventis.  
v.288 Cuncta quod in Maio vitalem mense vigorem  
v.289 accipiant, sua tum veniant quoque semina rebus.

## BASSARUS

v.290 Nescio quid dicas, ac si non foedere certo  
v.291 omnia junxisset moderator tempora mundi.  
v.292 Haec ut ad exortum facerent, illa ultima ferrent  
v.293 effecta, ut totum victus superesset in annum.

## CORYDON

v.294 Posteriora tamen primis sunt ultima factis.

## DAMAETAS

v.295 Parcite pastores, non sunt pastoria, quae nunc  
v.296 profertis, tetricam sed verba decentia barbam.  
v.297 Non potero pastor talem cognoscere litem  
v.298 quae magis arbitrio est gravium dirimenda sophorum  
v.299 sit satis en Corydon, mihi nam tua causa probatur,  
v.300 hanc habeas capitis redimentem tempora laurum.  
v.301 Ut frons arboribus decori est, ut gramina campis,  
v.302 ut flores hortis, segetes ut pinguibus arvis,  
v.303 sic decus est reliquis placidum ver partibus anni.